

STRABVS FULDENSIS MONACHVS.



Strabus in schola Fuldensi optimis literis instrutus fuit, atque Rabanum abbatem præceptorem habuit. Cum autem literas mirum in modum amaret, ibidem monachus Benedictinus factus est. Erat optima indole præditus. itaque factum est ut breui tempore in virum doctissimum euaserit, quem Rabanus mirè dilexit, atque sibi ab Epistolis ordinavit. Ut autem Strabus nomen suum ad posteros propagaret, in Genesim, Exodus, Leuiticum, & alia commentaria ædidit. Is etiam glossam (quæ postea Ordinaria dicta fuit) super Biblia ex patrum dictis, primus omnium collegit. eam postmodum alij adiunctis patrum sententijs ampliarunt. Claruit is potissimum sub Lothario Cæsare, Anno Christi octingentesimo quadragesimo quinto. Trit. in script. Eccles.